

Quarto, obijciunt illud Isaïæ LXIV. *Facti sumus ut immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatus, universæ justitiæ nostræ* (1).

Respondeo : Hic plane triumphare sibi videntur hæretici. Hunc enim locum semper in ore habent : cum tamen ad rem nihil pertineat, propter tres rationes. Primo, quoniam sine dubio non loquitur Isaïas de justis hominibus, sed de insignibus peccatoribus, ob quorum scelera tradenda erat civitas, et totus populus in manu regis Babylonie. Quod enim loquitur Isaïas in persona ejusmodi hominum sceleratorum, patet primo, quoniam paulo ante dixerat : *Ecce tu iratus es, et peccavimus*, id est, ut Cyrillus exponit, quia tu iratus es, deseruisti nos, deserti autem resistere non potuimus. At justis non deseruntur a Deo, quippe qui non deserit, nisi prius deseratur. Non igitur de justis, sed de impiis loquitur. Quod si exponas : *Ecce tu iratus es, et peccavimus*, id est, ideo tu iratus es, quia peccavimus, in idem recidet sententia. Deus enim non irascitur justis, sed tegit eorum peccata, et non imputat, ut adversarii volunt. Loquitur igitur Isaïas de impiis, quibus Deus irascitur, non de justis, quorum peccata dissimulat.

Secundo, patet ex verbis sequentibus. *Non est qui invocet nomen tuum, non est qui surgat, et teneat te*. At justis Deum invocant, et ipse Isaïas, qui justus erat, in hoc ipso capite Deum invocat, et Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ valde gloriatur, quod propter Lutheri doctrinam didicerit populus exercere opera fidei, et maxime in precibus Deum frequenter invocando. Loquitur igitur Isaïas in persona impiorum, non in persona sua, vel aliorum justorum.

Tertio, opera justorum Scriptura ubique laudat, et dicit, esse Deo placita, et accepta in odorem suavitatis, ut supra probatum est, et in hoc ipso capite dicit Isaïas : *Occurristi lætanti, et facienti justitiam : in viis tuis recordabuntur tui* (2). Non igitur loquitur de operibus justorum, cum dicit, justitiam esse quasi pannum menstruatum, nisi quis ita desipiat, ut existimet, Deo placere sordes, et pannum menstruatum ad illo, qui fons est totius puritatis, acceptari in odorem suavitatis.

Neque movere nos debet, quod Isaïas loqui videatur ita generatim, ut omnes homines comprehendat. Est enim iste Scriptura

mos, ut loquatur de multis, quasi de omnibus : *Omnis caro* inquit (Moses, Gen. VI.) *corruperat viam suam* (3). Et tamen ibidem vocat Noe virum justum, atque perfectum. Et Apostolus Paulus I ad Corinth. I. vocat omnes Corinthios sanctificados in Christo Jesu, et tales, ut nihil eis desit in ulla gratia, et prædicat fore, ut confirmetur a Deo usque in finem sine crimine. Et tamen cap. III. omnes vocat carnales, et dicit : *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis* (4). Cæterum laudat omnes propter quosdam, qui apud eos laudabiles erant, vituperat omnes propter quosdam, qui apud eosdem vituperatione digni erant. Vide Augustinum lib. de unitate Ecclesiæ, cap. XII. ubi hunc morem Scripturæ sacræ diligenter observat. Atque hæc est prima ratio cur testimonium Isaïæ ad rem non faciat.

Alter ratio est, quoniam etiamsi loqueretur Isaïas de omnibus, id est, de toto illo populo, tamen non loquebatur de omnibus, pro omni tempore, sed solum pro eo tempore, quo tradendi erant propter summa ipsorum scelera in captivitatem Babylonicam. Id enim patet ex sequentibus verbis : *Civitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Hierusalem desolata est, domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas* (5). Non autem sequitur, si quodam tempore totus populus fuit malus, ut omni alio tempore fuerit malus, et omnia opera ipsorum semper fuerint mala.

Tertia ratio est, quoniam non solum loquitur Isaïas de justis, sed de impiis, et de impiis pro certo quodam tempore, sed etiam non loquitur de omnibus operibus illorum impiorum, quasi omnia essent peccata, sed tantum de operibus illis, quæ ipsi justitias esse putabant, ut sacrificia, neomenias etc. poterant enim illi ipsi impii multa opera facere, quæ neque essent meritoria apud Deum, neque peccata, sed bona moraliter, ut alibi docuimus. Et ideo non dicit Isaïas, omnia opera esse velut pannum menstruatum, sed, omnes justitias esse quasi pannum menstruatum, vocat enim justitias opera quædam ad cultum divinum instituta, in quibus illi præcipue justitiam constituebant, quæ

(1) Isai. LXIV. 6. — (2) Isai. LXIV, 5. — (3) Gen. VI, 12. — (4) I Cor. III, 1. — (5) Isai. LXIV, 10.

quoniam non bona intentione, nec sicut oportebat, ab illis fiebant, merito pannu menstruata comparantur. De iis enim dicit Dominus Isaïæ I. *Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi. Calendas vestras, et solemnitates vestras odovit anima mea* (1).

Ad has causas accedat confessio Lutheri et Calvinii. Uterque in commentario hujus loci fatetur, hoc testimonium non recte adferri contra justitiam operum : et tamen idem Lutherus in assertione artic. 31. ex hoc potissimum testimonio probare conatus erat, omnia opera justorum esse peccata.

Quinto, obijcit Lutherus ex cap. VI. Matthæi orationem Dominicam. Nam ex eo quod oramus quotidie : *Santificetur nomen tuum, Fiat voluntas tua, Dimitte nobis debita nostra* (2) : colligi dicit Lutherus, nos omnes in omni opere nostro peccare : quoniam non petimus quod habemus, sed quod non habemus. Igitur semper in nobis polluitur nomen Domini, semperque rebelles sumus in omni opere voluntati Dei, semper denique egemus, ut nobis peccata misericorditer remittantur.

Respondeo : Potest hoc argumentum rectissime in adversarium retorqueri. Nam Christus non docuit nos petere, quæ numquam impetraturi essemus, immo promisit nos accepturos quod peteremus, dicens : *Petite et accipietis*, et : *Omnis qui petit, accipit*. Petimus autem sanctificari nomen Domini, et ut fiat a nobis voluntas Dei, igitur non polluitur semper in nobis, sed sanctificatur potius nomen Domini, et legi obediens, facimus Domini voluntatem. Alioqui frustra id peteremus, si numquam impetraremus. Præterea si non potest quisquam petere, ut fiat voluntas Dei, nisi qui semper Dei voluntati rebellis est. Quomodo Christus oravit, *Fiat voluntas tua* ? an etiam Christus semper voluntati Dei rebellis erat ?

Respondeo igitur, non solum posse peti quod non habemus, sed etiam conservationem, et incrementum ejus quod habemus. Sic enim explicat S. Cyprianus serm. de oratione Dominica primam illam petitionem : *« Id, inquit, petimus, et rogamus, ut qui in Baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseveremus »*. Et eodem modo explicat S. Augustinus in libro de bono perseverantiæ cap. 2 ?

Illud autem : *Fiat voluntas tua sicut in*

(1) Isai. I, 13. — (2) Mat. VI, 9.

caelo, et in terra, monent prædicti Patres, posse etiam sic intelligi, ut petamus conversionem infidelium, ut videlicet illi quoque, qui nomine terræ intelliguntur, faciant voluntatem Dei, sicut eam faciunt plerique fideles, qui nomine cœli significantur. Ex quo intelligimus, sanctos Patres contrario modo ex Dominica oratione argumentari, ac Lutherus facere soleat.

Porro illud : *Dimitte nobis debita nostra*, dicimus non pro omni opere nostro, (pro multis enim gratias agimus, non veniam petimus) sed pro venialibus peccatis, quæ bonis operibus admiscuntur. Quod autem Lutherus dicit in assertionem articuli secundi, dici illam orationem pro concupiscentia, quæ semper est in nobis, repugnat expresse S. Augustino, qui in libro de perfectione justitiæ scribit, non esse opus dicere : *Dimitte nobis debita nostra*, pro concupiscentia, quæ est in nobis, nisi motibus ejus voluntate consentiamus.

CAPUT XXI

Solvuntur objectiones ex Patribus, contra veritatem justitiæ actualis.

Præter Scripturæ testimonia proferunt etiam adversarii nonnulla ex Patribus, Cypriano, Hieronymo, Augustino, Gregorio, Bernardo. S. enim Cyprianus in serm. 4. de mortalitate sic loquitur : *« Obsessa mens hominis, et undique Zabuli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exurgit libido, etc. »*

Respondeo : Nihil hoc loco S. Cyprianus dicit, contra justitiam operum, sed contra miseriam hujus vitæ, quæ tota militia, sive tentatio est, super terram. Una tentatione devicta, continuo exoritur alia, atque ita semper pugna pugna succedit. Quam autem justitiam operum veram, et meritoriam Cyprianus agnovit, perspicuum est ex sermone de elemosyna, ut in libro sequenti citabimus.

Ex S. Hieronymo adducunt verba illa in 1. Dialogo adversus Pelagianos : *« Tunc ergo justis simus, quando nos peccatores fatemur, et justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia »*.

Respondeo : Potest hic locus referri ad

primam justificationem, per quam ex impiis reddimur justii : hanc enim justitiam non ex merito, sed ex misericordia Dei consequimur, atque hanc proprie pœnitentia, et confessio peccatorum præcedit. Nec tamen ullum sequetur incommodum, si idem locus referatur ad secundam justificationem. Nam ad justitiam hujus vitæ pertinet veritas confessionis, quod sæpe labamur in peccata, saltem venialia, quæ (ut sæpe diximus) non repugnant justitiæ; et quod quidquid boni facimus, non sine gratia, et auxilio Dei facimus.

Ex S. Augustino tria loca objici solent, præter ea, quæ in disputatione de meritis operum in sequenti libro excutiemus. Primus igitur locus est in epistol. 29. ad Hieronymum : « Plenissima charitas, quæ jam non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine, quamdiu autem augeri potest, profecto illud quod minus est quam debet, ex vitio est, ex quo vitio non est qui faciat bonum, et non peccet ». Alius locus est huic similis, in libro de perfectione justitiæ, respons. 15. « Peccatum, inquit, est, cum vel non est charitas, quæ esse debet, vel minor est, quam debet ».

Respondeo: Appellat S. Augustinus vitium, et largo modo peccatum, imperfectionem; et defectum illum, qui est in nobis, ratione concupiscentiæ. Cujus vitii causa nemo est, qui non aliquando peccet. Non esse autem eam imperfectionem peccatum proprie dictum, perspicuum est, tum ex ipso libro de perfectione justitiæ, ubi S. Augustinus dicit, non esse opus pro concupiscentia carnis, contra quam Spiritus concupiscit, dicere : *Dimitte nobis debita nostra*; tum ex libro de Spiritu et littera, cap. ultim., ubi disertis verbis dicit, non esse ad culpam deputandum, quod charitas in hac vita non tanta sit, quanta erit in patria.

Secundus locus est in lib. IX. confess. cap. 13. « Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam ».

Respondeo : Non dicit S. Augustinus, laudabilia opera esse peccata, si remota misericordia discutiantur; immo in eodem loco separat opera bona matris suæ, pro quibus gratias agit Deo, a peccatis, pro quibus a Deo veniam petit. Solum igitur dicit, vitam hominis laudabilem propter opera bona, egere misericordia in judicio Dei, propter peccata, saltem venialia, a quibus nemo liber invenitur.

Tertius locus est in lib. III. contra duas

epist. Pelagianorum cap. 7. « Ex quo factum est, inquit, virtutem, quæ nunc est in homine justo, perfectam hactenus nominari, ut ad ejus perfectionem pertineat etiam ipsius imperfectionis, et in veritate cognitio, et in humilitate confessio ».

Respondeo : Nihil aliud hoc loco S. Augustinus dicit, nisi justitiam in hac vita imperfectam esse, si comparetur ad justitiam vitæ beatæ; et hujus imperfectionis cognitionem et confessionem, hoc tempore non parum esse necessariam, ne quis existimet, se esse, quod vere non est, atque ita se ipse seducat. Nusquam autem in toto hoc libro imperfectionem istam peccatum esse Augustinus dicit, sed contra potius veram justitiam, et suo modo perfectam esse confirmat. Sic enim ait in fine capituli : « Justitia, secundum quam justus ex fide vivit, quoniam per spiritum gratiæ homini ex Deo est, vera justitia est. Quæ licet non immerito in aliquibus justis pro hujus vitæ capacitate perfecta dicitur; parva tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas Angelorum, quam qui nondum habebat, et propter illam, quæ inerat, perfectum, et propter istam, quæ adhuc deerat, imperfectum se esse dicebat. Sed plane minor ista justitia facit meritum, major illa fit præmium, unde qui istam non sequitur, illam non assequitur ». Hæc ille, ex quibus evidenter apparet, adversarios abuti Patrum auctoritate ad imperitos, simplicisque fallendos.

Ex S. Gregorio proferunt multa testimonia. Primum est in lib. IX. Moral. cap. 1. « Sanctus, inquit, vir, quia omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab interno arbitro districte judicetur, recte subjungit, si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille ».

Respondeo : Districte judicari hoc loco virtutis nostræ meritum, nihil est aliud, nisi judicari ex his, quæ homo ex se habet, remotis donis gratiæ Dei. Sic enim vere, quod virtutis meritum esse videtur, vitium et peccatum esse cognoscitur. Id ita esse, probamus ex verbis præcedentibus et sequentibus. Nam districte judicari dicit eum, qui se Deo comparat, et cum eo contendere cupit; illum autem se Deo comparare, et cum eo contendere velle dicit, qui non agnoscit, se a Deo habere quod habet, sed totum locum adscribamus : « Homo, inquit, Deo non compositus, justitiam percipit, compositus amittit, quisquis se auctori bonorum comparat,

bono se, quod acceperat, privat. Qui enim accepta bona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat. Sanctus autem vir, quia omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab interno arbitro districte judicetur, recte subjungit : Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. Cum Deo autem contendere, est non ei tribuere, sed sibi gloriam suæ virtutis arrogare. Sed sanctus vir conspiciat, quia et qui summa jam dona percepit, si de acceptis extollitur, cuncta, quæ acceperat, amittit, et dicat : Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille ». Ex his intelligimus, eum districte judicari apud Gregorium, qui propter superbiam prius amittit dona Dei, quæ acceperat, et severe secundum propria judicatur.

Alterum testimonium est in lib. IX. Moralium, cap. XI. « Repente, inquit, Deus interrogat, cum nos ad distractionem sui examinis inopinato vocat, sed interrogationi illius, homo respondere non sufficit, quia si remota tunc pietate discutitur, in illo examine etiam justorum vita succumbit ».

Respondeo, Explicat S. Gregorius illa verba Job : *Si repente interroget, quis respondebit ei?* docet autem, esse valde periculosum, si quis inopinato, et imparatus ad judicium Dei vocetur, quia cum nemo sit, qui non peccet, qui imparatus vocatur, verisimiliter in peccato aliquo reperitur, cujus nullam pœnitentiam egit. Cæterum non dicit Gregorius, opera justorum in judicio succumbere, quasi ipsa bona opera sint peccata, ut Lutherani volunt, sed vitam justorum in judicio succumbere, quoniam (ut dixi) in peccatis inveniantur, de quibus nullam pœnitentiam egerunt. Nec dicit, justos ita succumbere in judicio, ut ad pœnas destinentur æternas, sed intelligit eos succumbere, quoniam pœna aliqua, saltem purgatoria, temporariaque mulctantur, juxta illud I ad Corinth. III. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit quasi per ignem*.

Tertium testimonium est in eodem libro, cap. 14. Ubi explicans Gregorius illa verba : « Si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor; sic ait : Omnis humana justitia, injustitia esse convincitur, si districte judicetur. Prece ergo post justitiam indiget, ut quæ succumbere discussa poterat, ex sola judicis pietate convalescat ».

Respondeo : Hic locus eundem sensum habet cum primo loco. Significat enim humanam justitiam esse injustitiam, si districte judicetur, id est, si judicetur remotis beneficiis Dei, secundum ea, quæ homo habet ex se. Nam hoc loco hortatur nos Gregorius ad humilitatem, non ad pœnitentiam, ut patet ex verbis sequentibus : « Preci itaque innitendum est, cum recta agimus, ut omne quod juste vivimus, ex humilitate condiamus ». Itaque sensus verborum ejus hic est, ut cum bona opera aggredimur, Dei auxilium invocemus; scientes nos absque Deo nihil boni facere posse : et postea quam bona opera fecimus, non superbiamus, quasi nostris viribus illa fecerimus, sed insistamus precibus, orantes Deum, ut confirmet, quod operatus est in nobis.

Quartum testimonium est in eodem libro, cap. 26. in illud : Verebar omnia opera mea. « Ac si, inquit, humili confessione diceretur, quæ aperte egerim, video : sed quæ in his latenter pertulerim, ignoro ».

Respondeo : Non dicit in omni bono opere esse latentem culpam, sed sæpe cum bona opera facimus, culpam aliquam admisceri, nisi quis diligenter vigilet. Id quod apertius dixerat paulo ante, cum ait : « Ipsa bona nostra, quia insidiantis culpæ evadere gladium nequeunt, nisi sollicito quotidiano timore muniantur, per sanctum virum nunc recte dicitur, verebar omnia opera mea ».

Quintum testimonium est in eodem libro, cap. 28. Notandum, inquit, quod vir sanctus non ait, fulserint mundissimæ manus meæ, sed velut mundissimæ manus meæ; quia quo usque pœna corruptionis adstringimur, quantumlibet rectis operibus insudemus, veram munditiam nequaquam apprehendimus, sed imitamur ».

Respondeo : Vocat Gregorius veram munditiam, munditiam Dei et beatorum, cujus comparatione, nostra munditia vera non esse videtur, quamvis absolute sit vera. Sic enim loquitur idem Gregorius lib. V. Moral. cap. 26. « Humana justitia divinæ justitiæ comparata, injustitia est; quia et lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in Solis radio posita tenebratur ». Et lib. ult. cap. 1 « omnia humana, quæ justa, et pulchra sunt, Dei justitiæ, et pulchritudini comparata, nec justa, nec pulchra sunt ».

Sextum testimonium est in lib. ult. cap. ult. « Si autem, inquit, de his divinitus districte discutimur, quis inter ista remanet

salutis locus; quando et mala nostra pura mala sunt, et bona, quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt?»

Respondeo: Non dicit Gregorius, omnia bona opera nostra esse impura, sed non omnia posse esse pura, quia fieri non potest, ut non aliquando subrebat aliquid, quo bona aliqua opera vitentur. Ita enim se ipse explicat, cum paulo post ait: « Fatendum est igitur, quod rectam intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnumquam intentio minus recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitantur ». Quamvis autem loquatur Gregorius de peccatis venialibus, dicit tamen, non remanere salutis locum, si districte judicemur, quoniam peccata etiam venialia, si non misericorditer remittantur, impediunt ab ingressu illius regni, in quod nihil coinquinatum intrare potest.

Cæterum fieri non potest, ut non misericorditer remittantur, si justus simus, et in charitate Dei perseveremus; nam, ut scribit sanctus Augustinus in libro de correptione et gratia, cap. 13. « Misericordia illa justo Dei judicio dubitur justis, quoniam bonis suis operibus meruerunt, ut non sine misericordia judicarentur. Nam beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur, ait Dominus Matth. v. et iudicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordia, inquit Jacobus, cap. 11 ».

Ex S. Bernardo proferri solet testimonium illud, quod habetur in serm. 5. de verbis Isaïæ Propheta: « Nostra, si qua est humilis iustitia, recta forsitan, sed non pura, nisi forte meliores nos esse credimus, quam Pa-

tres nostros, qui non minus veraciter, quam humiliter dicebant: Omnes iustitiæ nostræ tamquam pannus menstruatae mulieris. Quomodo enim pura iustitia, ubi non potest adhuc culpa desse? »

Respondeo: Sanctus Bernardus exponit quidem illud Isaïæ de panno menstruatae paulo aliter, quam alii Patres exponant; tamen in re non dissentit a cæteris, neque ab ipsa veritate. Distinguit enim triplicem iustitiam. Unam, quam dicit esse rectam, sed non puram, nec firmam; alteram, rectam, et puram, sed non firmam; tertiam rectam, puram et firmam. Rectam esse docet, cum peccato non consentitur; sic enim ait: « Recta proinde interim videri potest iustitia hominum, si tamen peccato non consentiant ». Puram autem vocat, quæ in eis est, qui numquam fuerunt iniusti. Firmam denique, quæ amitti non potest. Itaque in Angelis beatis ponit iustitiam rectam, puram et firmam; in primis nostris parentibus, antequam peccarent, dicit fuisse iustitiam rectam et puram, sed non firmam. Denique in nobis dicit esse posse iustitiam rectam, quam possimus peccato non consentire; sed non puram, quoniam nemo nostrum est, qui non peccaverit in Adamo, et qui non aliquando saltem venialiter peccet. Nec firmam, quoniam nemo est, qui eam non possit amittere.

Videmus igitur S. Bernardum iustitiam rectam, id est, quæ in peccatum lethale non consentiat, libenter admittere. Quod unum plane sufficit ad novatores refellendos, quia omnia bona opera, peccata mortalia esse definiunt.

CONTROVERSIARUM

DE JUSTIFICATIONE

LIBER QUINTUS

QUI EST DE MERITIS OPERUM.

Disseruimus hactenus de necessitate, et veritate iustitiæ actualis: nunc de efficacia ejusdem, id est, de meritis operum disserendum est. Erit autem *Quadrupartita* hæc de meritis disputatio. *Primum* enim tractandum erit, An sint merita aliqua vera justorum. *Deinde*, Quid sit meritum, sive quid requiratur ad verum meritum constituendum. *Tertio*, Qualia sint hæc merita, id est an ex condigno, an ex congruo tantum. *Quarto*, Propter quid sint, sive quid illud sit, quod proprie cadit sub merito.

CAPUT PRIMUM.

Proponitur controversia, sintne opera bona justorum meritoria salutis æternæ.

Primum igitur controversia illa principalis tractanda erit: « Sintne opera justorum meritoria vitæ æternæ ». Deinde quæstiones duæ breviores de intuitu mercedis, et de fiducia meritorum.

Quod igitur ad controversiam illam principalem attinet, adversarii, quamvis initio valde contemptim loquerentur de operibus bonis, paulatim tamen cœperunt nonnihil eis tribuere. Nam Confessio Augustina, et Apologia art. 20. dicunt, opera bona justorum placere Deo, et esse meritoria præmiorum. Sed ne videantur omnino consentire Papistis, addunt duo temperamenta, quorum unum est, opera bona esse meritoria præmiorum temporalium et spiritualium, in hac vita, et in futura, sed non ipsius vitæ, et salutis æternæ. Ne videlicet falsum sit, quod tam sæpe repetiverunt, sola fide justificari, et salvari homines. Alterum temperamentum est, opera justorum non esse meritoria ex propria dig-

nitate, quasi re vera sint justa, et legi satisfaciant, sed ex fide, et indulgentia Dei, quia videlicet Deus iis, qui credunt sibi remissa esse peccata, indulgentia sua tegit operum fœditatem, et sit accipit, quasi justa essent.

Eandem sententiam habet Joannes Brennius in Confessione Wirtembergensi, capite de bonis operibus. Martinus Kemnitius in Examine Concilii Tridentini ad finem sessionis sextæ, et alii passim.

Joannes vero Calvinus lib. III. Institutionum cap. 15. § 2. et sequentibus, in re cum Lutheranis consentit, in verbis discrepat. Contendit enim, non esse utendum nomine meriti et mercedis, sed dicendum esse, operibus bonis dari a Deo remunerationem aliquam, et compensationem liberalem, sed quamvis agnoscat, et fateatur veteres Patres passim usos esse vocabulis meriti et mercedis, tamen ita acerbe in eos invehitur, ut dicat pessime consuluisse fidei sinceritati, qui primus nomen meriti operibus tribuit. Qua incredibili arrogantia non solum totam antiquitatem temere et impudenter accusat, sed ipsum etiam Spiritum sanctum corrigit, qui in factis litteris hæc ipsa nomina (ut paulo post videbimus) extare voluit. Fatemur ni-